

www.e-rara.ch

[Primum volumen]

Ad illustrissimum atque optimum principem, Ludovicum, comitem Palatinum,
Rhenanum, ducem Bavariae, &c. principem dominumque suum benignissimum,
Guilielmi Xylandri, in Plutarchi operum volumen ...

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

AD ILLVSTRISSI-

MVM ATQVE OPTIMVM
principem, Ludouicum, comitem Palati-
num, Rhenanum, ducem Bauariæ, &c. prin-
cipem dominumque suum benignissimum,

GVILIELMI XYLANDRI, in

PLVTARCHI operum volu-
men posterius suum,

P R A E F A T I O.

DLVTARCHI Cheronen-
sis commentariorum horum,
quos à me de Græcis in narra-
bili atq; incredibili labore, sum-
maq; fide & solitudine Lati-
nos factos tibi, LVDovi-

CE princeps Illustrissime, offero & dedico, ea est
omnium doctorum consensu & prædicatione di-
gnitas, venustas, ac vtilitas: vt vereri nullo modo
debuerim, ne tibi hoc nostrum munus vile, aut tan-
to principe parum dignum videri posset. Porro au-
tem cum iam pridem compertum haberem, te pa-
tris tui omni laude superioris principis, maiorumq;
adeò vestigijs insistentem, summa erga clientes tuos
(inter quos nomen meum profiteor) humanitate
viri: opus hoc meum, quodam tibi iure tuo debitum,

EPISTOLA

Ut sub tuo illustrissimo nomine in publicū darem,
 teq; hac vna qua possem ratione demererer, dili-
 genter considerata re consultissimū fore duxi. Iu-
 re inquā tuo, princeps optime. Nam cū ante an-
 nos ferè decē alterum Plutarchianorū volumen
 operum, quo vitæ præstantissimorum Græcorū ac
 Latinorum exponuntur virorum, itidem à me in
 Latinam traductum linguam inscripsissem in cly-
 tissimo PATRI tuo, alterum primogenito eius
 filio, quem fouendo etiā Xylandro confidebam pa-
 ternas æmulaturū virtutes, iam inde ab initio mea-
 rum in hoc opere ærumnarū animo destinaueram.
 Proinde in certissimam venio spem, cū tibi, Illu-
 strissime princeps, tum bonis & humanis censori-
 bus omnibus huius meæ dedicationis rationes ad-
 modum probatū iri: ideoq; nolo ijs copiosius expli-
 candis opinionem bonitatis causæ deminuere. Iam
 de ipso opere, eius autore, meoq; interpretis labore
 ut aliquid dicā, non tā res ipsa me cogit, quā non
 malè receptus præfandi mos hortatur, propter le-
 ctiores, ut præcipuè apparet, institutus. Neq; enim
 laudibus maiorū tuorum, et quæ tibi propriæ sunt
 decantandis, paginas implere decreui. quod genus
 exornationis qui tractent & sunt, & erūt alij me
 instructiores atq; faciūdiore. Mihi in præsentia sa-
 tis est cū tibi, Princeps humanissime, tum candi-
 do Le-

DEDICATORIA.

do Lectori demonstrare, meū hoc tui demerendi officium non esse à tua amplitudine alienum. Nam quid ego PLUTARCHVM laudē, Virū (quod summi Viri testati sunt, hodieq; vno omnes periti ore adfirmant) incōparabilem? quid commendem philosophiæ omnes partes, historiā, litteraturā, & antiquitatis reconditiſſimæ declarationē, quæ omnia hoc volumine quasi in copiæ cornu vberissimo cōprehensa proponuntur? quid de meo studio, conatu, labore, ærūnis exanclatis in hoc opere me ia Etem? PLUTARCHVM quidē laudare si ordiar, non iniuriā reprehendi poſſim eo modo, quo ab Antalcida reprehēſus quidā fertur, Spartæ Herculem laudare aggreſſus. quis enim Plutarchum vituperavit? Ac nos quidē cū dudū in Vitas ab hoc scriptas præfaremur, vtcunq; narrauimus quis Vir fuiſſet: quæ huc inculcāda minimè duxi, ſuo loco copioſius omnia (Deo volente) enarraturus. Tamen me continere nō poſſum (tāta eſt in animo meo huius ſcriptoris veneratio) quin aliquid ſaltem dicā. Spintharus Tarentinus, magni Vir nominis, Epaminondā cū vellet laudare, aiebat Ne minem ſibi obtigiſſe hominē, qui & ſciret plura, et pauciora loqueretur. Magna me hercle laus, magniq; de maximo Virō præclarū teſtimonium. Ego autē de Plutarcho pronunciare hoc nō dubito (do-

Plutar. gen.
Socra. & de
aud.

EPISTOLA

Etioresq; etiã idem sassuros de se quenq; arbitror)
 neminem vnum scriptorem in manus peruenisse
 meas, qui & plura in omnis generis rebus habue-
 rit cognita, & plura litteris cõplexus philosophiæ,
 prudentiæ humaniorisq; literatura, quam philolo-
 giã dicunt, studiosis fide et facundia tãta tradiderit
 subsidia. qua laude an maior vlla scriptori alicui
 egregio tribui possit, haud scio. Equidẽ fateor taci-
 turnitatẽ in vita cõmuni apprimẽ vtilem ac lau-
 dabilem esse, tutãq; (vt Flaccus noster scitẽ dixit)
 habere mercedem. Verũ de multarũ earumq; o-
 ptimarum rerum peritis & doctis appositẽ, puto,
 vsurpauerit aliquis illud Cyclopi Euripideũ. qui,
 cũ Vlisses diceret,

Habens tua ipse, videberis honoratior: respõdit,
 Vtilior autem, amicis largiens, ero.

& in hoc genere maximẽ verũ est, quod apud eun-
 dem poetã Iolaus pronunciat, virũ bonum proxi-
 mis natũ esse. Ac si bonum communius quãto est,
 tãto haberi debet melius, quæ sententia in pro ver-
 bium abiit: bone Deus, quã meruit præclarẽ de
 humano genere Plutarchus, qui nõ contentus didi-
 cisse & docuisse tam multa tamq; admiranda, ad
 posteritatem quoq; et vniuersos mortales conden-
 da hac bibliotheca (sic enim meritò appellabimus
 hoc eius opus) doctrinã et peritiã suã propagauit.

Quar-

DEDICATORIA.

Quamquam hanc quidem locupletiore multò haberemus, si ad nos omnia auctoris huius scripta pervenissent: cùm Eusebius, Stobæus, & Gellius (siue is Agellius est) citent libros Plutarchi iam dudum amissos. quorū iacturam apparet è reliquijs esse dolendā: Stromatēas Plutarchi, et opus de *1. & 2. li. De*
dales Platænsibus Eusebius adducit. Stobæus cūm *præpar. Eu.*
alia, tum librū de mulierib. instituendis, Epistolam de amicitia, contra vires corporis, de quiete, de nobilitate, contra nobilitatē, contra diuitias, de amore, de diuinatione. Gellius de diuersa animorum et *I.*
corporum indole & virtute, secundū de Homero *II.*
librum (de eo quem nos damus, alibi dictū est quid *III.*
sentiremus) & primum de eodem, de anima pri- *XV.*
mum, aliosq; citat, vt Symposiaca, nō sanē ijsdem verbis, aut eodem ordine quo hodie leguntur. Lau-
datur etiam vt testis de rebus nō vulgarib. præter eos quos dixi ab Eustathio commentarijs Homeri-
cis: adeoq; à Simplicio Aristotelem de anima inter-
pretante. ne Athenæum referā, aut Macrobiū,
qui bucula ipsius nō ita rarò arauerunt. Qua de re,
alijsq; ad Plutarchum nostrum pertinentibus, pru-
dens hæc plura dicere supersedeo. cūm (vt dixi)
brevi sperem fore, vt rem istam commodè pertra-
ctem totam. Ergo de Plutarcho in præsentia satis.
Opus ipsum quale esset, iam obiter monui. M O

EPISTOLA

RALIA titulum ei faciunt, itaq³ vulgò appellât.
 siue quòd maiore partem putât esse de philosophia
 morali, siue quòd ab ea sophiæ parte, quæ vitæ hu-
 manæ maximè est necessaria, tanquã à potiori de-
 nominandam totâ horum opusculorû duxit con-
 gieri, quicunq³ tandem huius indicis autor est.
 Nam moralia quidem sunt & multa & admiran-
 dæ doctrinæ atque venustatis. Sed audire velim,
 quenam pars porrò philosophiæ, quæ facultas, quæ
 litteratæ philologiæ portio non plurimû ex his ipsis
 disci Plutarchianis & illustrari queat opusculis. po-
 teram recensioem huic loco demonstrandi eius
 quod dixi gratia attexere. sed vt ne te Illustrissime
 Princeps, diutius abstinere ab ipsius Plutarchi no-
 stri lectione, aut per transfennâ ignavis proponere
 voluisse inspiciendas tâtas res existimarer: saltem
 ad Indices eorû quæ Latina damus opusculorum
 pro voco, minimè vel obscuros, vel arrogâtes: sed
 qui cû moralibus physica, mathematica, logica, hi-
 storica, deniq³ omnis generis litteras tractari doce-
 riq³ demonstrent. Reliquû lectio librorû ipsa abun-
 dè patefaciet. Itaq³ iam nunc quod nō superuaca-
 neum esse magnis argumentis colligo, ad rationem
 meorû laborum breuiter reddendam me confero.
 Res ergo ita habet. Ante annos aliquot, ex quo Vi-
 tæ Plutarchi nostræ hominû doctorû & ingenuo-
 rum

DEDICATORIA.

rum manus per volitarunt, non defuere qui suaderent, hortarentur, vrgerent, instarent, Vt alterum quoq; hoc volumen eodem modo è Græco in Latinū sermonē transferrem. Hæsitavi diu, quòd viderem ante me neminem vnū ausum esse tantum opus moliri. Vtpote cuius absolutio ineffabilem laborem, & tantū non totius philosophiæ ac literaturæ peritū, plurimāq; lectionis & acerrimi iudicii hominē desideraret, ne quid dicā de felicitate loquendi & facundia. quæ omnia quāta in me sint, satis probè noui. Videbā viros doctissimos ita ferè hæc piscatos, Vt facilima aut gloriā paratura aliquā deligerent Latinè edisserenda ijs, quæ difficiliora aut minus splendida essent præteritis. quo factum est, Vt quædam in hunc vsq; diem (nisi quid nos fugit) interpretem nullum sint nacta. Nolo nunc commemorare, quàm multa & miseranda interdum errata eorū qui ante nos delibauere de hoc Opere aliquid deprehensa sint. cūm probem tragicam illam imprecationem:

Pereas, quicumque humana seligis mala.

Tandem victus æquitate, Vt arbitrabar, flagitantū, et rempublicā adiuuandi indefesso etiamnum studio, in humeros meos hoc mihi onus imposui, et quo potui omnino modo ad finē pertuli. Hic locus facit Vt te, Illustrissime atq; benignissime princeps,

EPISTOLA

paulò liberius cōpellem: causæ bonitate meæ, et tuæ
 in primis fretus æquanimittatis fiducia. Considerās
 enim aliquis tanti operis molem, et cū Varietate
 rarissima coniunctā maiestatem, tū mendarū &
 lacunarū passim impediētū multitudinem, (quo-
 rum magnā partem interpretes nos antegressi aut
 non obseruauerunt, aut pro suo cōmodo dissimu-
 lauerunt: nos asteriscis allitis inopiā nostram testa-
 tam fecimus) tū quā multi ac varij versus car-
 mine nobis reddendi, quis labor in conquirendis et
 annotandis ad expediendū Lectorē locis ab auto-
 re allegatis, quantusq; fuerit & quā molestus to-
 lerādus. hæc inquā, & alia quæ modestiæ causa dis-
 simulo, considerans aliquis: facile intelliget (modò
 homo sit) me mihi ita esse consciū, vt citra vllum
 vel somniū impudētiæ & potuerim, & debuerim
 T. A. has meas vigilias, meq; vnā tuæ benignissi-
 mæ liberalitati offerre. Atque adeò, vt sumam
 (quod Horatius vsurpauit noster) superbiā quæ-
 sitam meritis: cepi pro vinciā durā, aut durissima
 potius quā vis duriorē, & quā nondum vidi quis
 vnus se aditurū ita polliceretur, vt promissum im-
 pleret. adiui tamen et multo quidē sudore, grauif-
 simisq; laboribus, tamen Dei benignitati adiuuāte
 hoc monumentū exegi. quod quale sit, ipsa res lo-
 quetur. Doctōrū quidem hominū iudicia nō refo-
 mido:

DEDICATORIA.

mido: periti modò sint rerū, & candidi. ceteros facile cōtemno. Id de me citra arrogantia possum affirmare, hac mea lucubratione nō ijs modò cōmō datum esse, qui Græcæ linguæ ignari PLVTARCHVM vel omnino nō legūt, vel sepe alienū pro auctoris sensum in vulgatis versionib. accipiunt: sed etiam ijs, qui nō planè imperiti Græci sermonis, in tanta varietate rerū cōparatione gaudēt vtriusq; linguæ. Glaciē, quod aiunt, ego secui: multisq; molestijs leuavi studiosos pulcerrimarū rerum cognitionem affectatibus. Quo minùs curo eorū morositatē, qui nisi Ciceronianū: tersum politūq; et nescio quo tandē instrumētō limatum nihil probant. Ego perspicuitati operā dedi, qua nihil debet esse antiquius interpreti. Verba vsitata et disertè significantia multo malui suis locis adhibere, quàm obscurare studio nescio cuius Latinitatis res ipsas. ausus sum etiā vti nonnunquā in philosophicis explicandis licentia confingendorū verborum, vt intelligi sententiæ possent. Deniq; id quod licuisse mihi arbitratum sum in Vitarū interpretatione, et ibi in Præfatione quale esset exposui: hsc mihi imperatum ab ipsa re sensi, ac morem gessi necessitati. Sed hæc præcidenda sunt: nā repræhenses neq; spero fore vlllos: neq; sycophantas metuo. Satis mihi est, et erit, doctis atq; candidis iudicibus, & qui circumstātijs

EPISTOLA

etiam rerum mearum, temporum, opportunitatūq; & quo animo norint perpendere, me posse probare ærumnosam hanc meam operam, rei publicæ litteraria nauatam. atq; id me posse, confido.

Tantū itaq; est, quod præfari ad te, Princeps Illustrissime, volui. Restat vt tibi opus nostrū cōmendem. Sanè spem nō dubiā animo meo concepi, hanc meam lucubrationē iampridem à doctis etiā viris expectatā, in manus hominū ita per venturā, vt & vsui, & oblectationi permultis sit futura. vtq; sic sperare, & PLVTARCHI scriptorū præstantia, & mea (quod arroganter nō dico) solertia atq; laboriosissima industria mihi persuaserūt. omnino autē hinc ad remp. & ad priuatos homines vtilitatē fructūq; non pœnitendum rediturum, etiā alij me tacente ausi sunt spōdere. Ergo, Illustrissime princeps, totū hoc emolumentū quod ad reipublicam ē nostra ærumnosissima pertinebit hac lucubratione, tibi volo acceptū grato animo ferāt, tibi se Latinos hos Plutarchi commentarios debere agnoscat, tuis auspicijs me hoc cōfecisse opus sentiant, ideoq; te colant boni & eruditi omnes. Totū hoc tuū estō, quidquid est laude & gratiarū actione dignū: erit profectō non nihil. Ego abs te, P. A. vicissim vnū hoc peto qua debeo reuerentia et submissione, vt hoc nostrum munus benigno æquoq; accipias

DEDICATORIA.

accipias animo, & miseriarū laborumq; nostrorū
eam habeas rationem, quā tibi generosissima tua
indoles, auita virtus, PATRIS exemplū, et spes
nostræ gratitudinis nō deceptura dictabunt. Credo
nō defuturos, quib. hæc nostræ præfationis coronis
putida & sordida videbitur. Sed meæ res sic sunt,
sic est animi candor. et Tuæ, Princeps, humanitati
certus sum hæc acceptiora fore, quā per adulādum
& ambages quæsitā (vt hodie vulgò fit) liberali-
tatis tuæ sollicitationē. Non erit Tibi dedecori, non
erit fraudi, Princeps Illustrissime ac clementiss. frus
Etum nostræ lucubrationis huius quæ multi putāt
fore neutiquā aspèrnamdum, ad rem publicā cum
aliqua etiam tuæ munificentie prædicatione redi-
re. nos quidē, & nostra omnia in Venies tibi præstō
esse, si quis vsus tenuitatis nostræ esse aliquādo tuæ
Amplitudini possit. Interim tuæ Illustrissimi Celsi-
tudini, & coniugi lectissimæ Principi, liberis, fami-
liæ omnibusq; ijs quæ cara habes, à DEO OPT.
MAX. omnia faustissima precamur, tuæq; nos cle-
mentie suppliciter commendamus. Heidelbergæ.
Eidibus Sextil. anno M. D. LXX.

T. I. C.

Subditus, & addictissimus cliens

M. Guilielmus Xylander, philosophiæ
publicus in Academia Heidelber-
genfi professor.